illa erit germen domini in magnificentia et gloria et fructus terre
sublimis et exultatio his qui salvati fuerint de israhel. Et erit
omnis qui relictus fuerit in syon et residuus in ierusalem sanctus
vocabitur omnis qui scriptus est in vita in ierusalem. Si abluerit
dominus sordes filiarum syon et sanguinem ierusalem laverit de me-
dio eius in spiritu iudicii et spiritu ardoris. Et creavit dominus
super omnem locum montis syon et ubi invocatus est nubem per
diem et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte.
Super omnem enim gloriam protectio et tabernaculum erit in umbra-
culum diei ab estu. in securitatem et in absconsionem a turbine
et a pluvia. R. Vinea facta est dilecto in cornu in loco uberi.
V. Et maceriam circumdedit et circumfodit et plantavit vineam so-
rech et edificavit turrim in medio eius et torcular fodit in ea.
V. Vinea enim domini sabaoth domus israhel est. OR.
Deus qui nos ad celebrandum paschale sacramentum utriusque testa-
menti paginis instruis da nobis intelligere misericordiam tuam
ut ex perceptione presentium munerum firma sit expectatio futu-
rorum. Per. Y. Ysaie prophete. Hec est hereditas servorum domini et iusti-
cia eorum apud me dicit dominus. Omnes sitientes venite ad aquas et
qui non habetis argentum properate emite et comedite. Venite
emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.
Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum non in
saturitate. Audite audientes me et comedite bonum et de-
lectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram
et venite ad me. audite et vivet anima vestra. Et feriam vobis